Instructiones (Latin)

Commodian (3rd century)

SermonIndex.net / Church Fathers

Mss: Index siglorum

S. = Sitzungsberichte der phil.-hist. Classe der kais. Akademie der Wissenschaften.

b. Gbl. = Blatter fur das bayer. Gymnasialschulwesen.

C = cod. Cheltenhamensis, membran., n. 1825 (saec. XI).

B = cod. Parisinus, chartae., lat. n. 8304 (saec. XVII).

A = cod. Leidensis, chartae., Vossianus lat. in octauo n. 49 (saec. XVII).

O = CBA

t, m, s litterae codicum siglis additae indicant lectiones in textu, in margine, supra lineam scriptas.

And. = cod. Andecauensis deperditus (cf. b. Gbl. 16 p. 841 sqq.; S. 107 p. 738 sqq.)

21 = uariae lectiones apographi Sirmondiani in appendice editionis I exscriptae (cf. S. 96 p. 450 sq.; 107 p. 737 sq.).

2* = eiusdem apographi lectiones in commentario editionis II citatae.

S = $\sum 1$ et $\sum 2$.

r1 = ed. I anni 1649) ab ipso Rigaltio curatae et Tulli Leucorum r* = ed. n anni 1650 f pubucatae (cf. S. 96 p. 448 sqq.).

r = r1 et r2. .

r\' = ed. m, quae anno 1666 post mortem Rigaltii Phil. Priorio curante sub Rigaltii nomine Parisiis prodiit (cf. S. 96 p. 462 sq.).

E1, ES, E3 = tres indices emendationum editioni I subiuncti (cf. S. 96 p. 449 sq.; 451 sq.).

Rig. suppl. = supplementa typis impressa, quae editioni II Rigaltianae addita sunt (cf. S. 96 p. 462).

Rig. ms. = adnotationes in locos quosdam Instructionum in exemplari Berolinensi (libr. impr. c. not. mss. quart. 49) editioni I et II manu Rigaltii conscriptae (cf. S. 96 p. 466; 107 p. 714).

Schurzfl. = ed. Schurzfleischiana anni 1705 (S. 96 p. 464 sqq.).

Schurzfl. suppl. = Schurzfleischi supplementa ad Commodianum anno 1709 edita (cf. S. 96 p. 466 sqq.).

Dant. = Iohannes Dauisius (Dauies) in editione Instructionum anno 1712 Cantabrigiae publicata (cf. S. 96 p. 468).

Oehl. = Franciscus Oehler in editione Instructionum anno 1847 Lipsiae in bibliotheca patrum eccles. lat. Gersdorfiana sumptibus Tauchnitzii publicata.

Ld = Ernestus Ludwig in editione Teubneriana anni 1878.

v = Oehl. et Ld.

C. A. = Carmen Apologeticum.

s. u. = sub uoce.

s. J. = supra lineam.

Commodiani Instrvctiones Per Litteras Versvvm Primas — Liber Primvs

I. Praefatio.

II. Indignatio Dei.

III. Cultura daemonum.

IIII. Saturnus.

V. Iuppiter.

VI. De fulmine ipsius Iouis <audita).

VII. De septizonio et stellis.

VIII. De sole et luna.

VIIII. Mercurius.

X. Neptunus.

XI. Apollo sortilegus falsus.

XII. Liber pater Bacchus.

XIII. Inuictus.

XIIII. Siluanus.

XV. Hercules.

XVI. De dis deabusque.

XVII. De simulacris eorum.

XVIII. De Ammudate et deo magno.

XVIIII. Nemesiacis uanis.

XX. Titanes.

XXI. Montesianis.

XXII. Hebetudo saeculi.

XXIII. De ubique paratis.

XXIIII. Inter utrumque uiuentibus.

XXV. Qui timent et non credent.

XXVI. Repugnantibus aduersus legem Christi (Dei uiui).

XXVII. Stulte non permoreris Deo.

XXVIII. Iusti resurgunt.

XXVIIII. Diuiti incredulo malo.

XXX. Diuites humiles estote.

XXXI. Iudicibus.

XXXII. Sibi placentibus.

XXXIII. Gentilibus.

XXXIIII. Item gentilibus ignaris.

XXXV. De ligno uitae et mortis.

XXXVI. De crucistultitia.

XXXVII. Qui iudaeidiant fanatici.

XXXVIII. Iudaeis.

XXXVIIII. Item Iudaeis.

XL. Iterum ipsis.

XLI. De Antechristi tempore.

I. Praefatio

Praefatio nostra uiam erranti demonstrat
Respectumque bonum, cum uenerit saeculi meta,
Aeternum fieri, quod discredunt inscia corda.
Ego similiter erraui tempore multo
Fana prosequendo parentibus insciis ipsis;
Abstuli me tandem inde legendo de lege.

Testifico Dominum: doleo pro ciuica turba,
Inscia quod pergit periens deos quaerere uanos;
Ob ea perdoctus ignaros instruo uerum.

Ii. Indignatio Dei

In lege praecepit dominus caeli, terrae marisque:
Nolite, inquit, adorare deos inanes
De manibus uestris factos ex ligno uel auro,
Indignatio mea ne uos disperdat ob ista.
Gens ante, Moysi rudis, sine lege morata
Nesciensque Deum, defunctos reges orabant,
Ad quorum effigies faciebant idola uana.
Translatis Iudaeis Dominus de terra Aegypti
Inposuit legem postmodum et ista praecepit,
Omnipotenti sibi soli deseruire, non illis.
De resurrectione quoque docetur in ipsa
Et spe fortunata rursum in aeuo uiuendi,
Idola si uana relinquantur neque colantur.

Iii. Cvltvra Daemonvm

Cum- m Deus / omnipotens exornasset mundi naturam,
Visitari uoluit terram ab angelis istam;
Legitima cuius spreuerunt illi dimissi;
Tanta fuit forma feminarum, quae flecteret illos.
Vt coinquinati non possunt caelo redire,
Rebelles ex illo contra Deum uerba misere.
Altissimus inde sententiam misit in illis;
De semine quorum Gigantes nati feruntur.
Ab ipsis in term artis prolatae fuere,
Et tingere lanas docuerunt et quaeque geruntur,
Mortales et illi mortuos simulacro ponebant.
Omnipotens autem, quod essent de semine prauo,.
Non censuit illos recipi defunctos e morte.
Vnde modo uagi subuertunt corpora multa;
Maxime quos hodie colitis et deos oratis.

Iiii. Satvrnvs

Saturnusque senex si deus, deus quando senescit?
Aut si deus erat, cur natos ille uorabat?
Terroribus actus, sed quia deus non erat ille,
Viscera natorum rabie monstruosa sumebat.
Rex fuit in terris, in monte natus Olympo,
Nec erat diuinus; sic deum esse dicebat.

Venit inops animi, lapidem pro filio sorpsit:
Sic deus euasit; dicitur modo Iuppiter ille.

V. Ivppiter

Iuppiter hic natus in insula Creta Saturno
Vt fuit adultus, patrem de regno priuauit,
Proinde nobilium uxores sororesque delusit. .
Praeterea sceptra fecerat faber illi Pyracmon. >
- Initio caelum, terram Deus et mare fecit;
Terribilis autem iste medio tempore natus s
Ex antro processit iuuenis furtimque nutritus.
Respice querellas! Alter est Deus, non Iouis ille.

Vi. De Fvlmine Ipsivs Iovis Avdite

Dicitis o stulti: Iouis tonat, fulminat ipse.
Etsi paruulitas sic sensit, cur anni dicentes?
Fuistis infantes: numquid et semper eritis?
Versari maturum ⟨in⟩ infantia non capit aeuum.
Lusus puerilis cessit: sic et corda recedant;
Moribus utique consilia uestra debentur.
Insipiens ergo Iouem tonitruare tu credis
Natum hic in terris et lacte caprino nutritum;
Ergo si illum deuorasset * * Saturnus,
In istis temporibus quis pluebat illo defuncto?
Praesertim mortali patre deus nasci credatur?
Saturnus in terris senuit et defecit in ipsis.
Illum non aliquis prophetauit ante pronasci.
Vel, si tonat ipse, lex ab ipso lata fuisset.
Seducunt historiae fat(u)os confictae ⟨inanes⟩.
Ille autem Cretae regnauit et ibi defecit.
Omnipotens nobis factus Semeles amator.
Yiuus ipse modo amaret similiter [si uiuere] ille.
Inpuros oratis et dicitis esse caelestes
Semine mortali natos de Gigantibus illis.
Auditis et legitis natum in terra fuisse:
Vnde bene meruit corruptor ascendere caelum?
Dicitur et fulmen Cyclopas illi fecisse,
Inmortalis enim habuit a mortalibus arma.
Tot reum criminibus, parricidam quoque suorum,
Ex auctoritate uestra contulistis in altum.

Vii. De Septizonio Et Stellis

De circulo zonae fallit uos imperitia uestra,

Ex eo quod forte Iouem experitis orandum.
Saturnus fertur ibi, sed stella, non ille; effugit
Expulsus a Ioue. Aut Iouis in stella credatur?
Poli quoque sidera tractauit solusque sator,
Troianis qui bellum fecit, auem mortalem amauit.
Ipsis sideribus aut Mars qui cum ipsa deprensus
Zelo maritali deus nominetur aduliscens?
0 nimium stulti, qui putatis moechos ab astris
Nascentes regere aut totam mundi naturam.
In uulnera positi et ipsi sub fata uiuentes,
Obsceni, furiosi, bellatores, impii uitae,
Et filios totidem mortalee illi fecere:
Terribilis omnis, stulti, septizonio fortis!
Si stellas colitis, colite et bis sena sigilla!
Tam arietem, taurum, geminos toruumque leonem
Et dein quae uadunt in piscis tu quoque probabis.
Lex sine lege, fuga uestra, quod unlt esse ualebit.
Lasciua unlt esse, sine freno uiuere quaerit.
Ipsi quod uultis erit, et deos et deas oratis.
Sic ego colui, dum erraui, quod modo culpo.

Viii. De Sole Et Lvna

De Sole et Luna, licet sint praesentanea nobis,
Erratis; quod ego prius putatis oranda.
Sunt quidem in astris, sed non sua sponte currunt:
Omnipotens illos, cum conderet omnia primum,
Locauit ibidem cum stellis quarta dierum.
Errorem antiquus quin cum * * *
Et quidem in lege iussit, ne quis illos adoret.
Tot deos oratis, qui nihil de uita promittunt,
Lex quorum in terra non est, nec ipsi praedicti;
Vos autem seducunt sacerdotes pauci (inanes),
Numina qui dicunt aliquid morituro prodesse.
Accedite legis ⟨edictis⟩ et dicite uerum.

Viiii. Mercvbivs

Mercurius uester fiat cum saraballo depictus
Et galea et planta pinnatus et cetera nudus.
Rem uideo miram, deum <cum) saccello uolare:
Currite pauperculi cum gremio quo uolat ille,
Vt sacculum effundat, uos extunc estote parati.
Respicite pictum, quoniam uobis hic ab alto
Iactabit nummos; uos tunc saltate securi.

Vane, non insanis, colere deos pictos in axe?
Si uir esse nescis, cum besteis perge morari.

X. Neptvnvs

Neptunum facitis deum ex Saturno pronatum,
Et tridentem regit, ut pisces suffigere possit.
Patet esse deum: humerale illi parate!
Troianis non ipse cum Apolline muros eduxit?
Vnde deus factus inops caementarius ille?
Non Cyclopem genuit monstrum? non moechus et ipse?
Viuere non poterat de suo, quod structuram gerebat.
Sic genuit generatus, qui fuit iam mortuus olim.

Xi. Apollo Sortilegvs Falsvs

Apollinem facitis citharoedum atque diuinum.
Primum de moechia natus in insula Delo;
Oblata mercede postmodum structuram sechtus
Laomedonti regi Troianorum muros eduxit
Locauitque sese, quem deum seducti putatis;
Ossibus cuius amor Cassandrae flagrauit,
Subdole quem lusit uirgo, falliturque diuinus,
Officio uerbenis ⟨non⟩ potuit scire bicordem;
Repudiatus enim discessit inde diuinus.
Torruit hunc uirgo specie, quam ille deberet.
Illa prior utique debuerat deum amasse.
Lasciuientemque Dafinem sic coepit amare.
Et tamen insequitur, dum uult uiolare puellam:
Gratis amat stultus, nec potuit consequi cursu.
Vel, si deus erat, occurreret illi per auras:
Sub tectis illa prior uenit, remansitque diuinus.
Fallit uos gens hominum, nam ui robusti fuerunt.
A primitia quoque pecora pauisse refertur.
Lusibus in positis dum mitteret discum in altum,
Sublapsum non potuit retinere, prostrauit amicum:
Vltimus ille dies fuit Hyacinthi sodalis.
Si diuinus erat, mortem praecessisset amici.

Xii. Liber Pater Bacchvs

Liberum patrem certe bis genitum dicitis ipsi.
In India natus ex Ioue Proserpina primum
Belligerans contra Titanas profuso cruore
Expirauit enim sicut ex mortalibus unus.
Rursus flato suo redditus in altero uentre.

Percepit hoc Semele iterum Iouis altera moecha,
Absciso cuius utero prope partu defunctae
Tollitur et datur Niso nutriendus alumnus.
Ex eo bis natus Dionysus ille uocatur,
Religio cuius in uacuo falsa curatur,
Bacchantur et illi, qualis nunc ipsi uidentur,
Aut t peticulones mineruionis quesutoris
Conspirant in malo, proludunt fincto furore,
Ceteros ut fallant dicturos numen adesse.
Hinc manifeste rudes homines sine le⟨ge⟩ uiuentes
Vino permutati, primo quod expresserat ille,
Sub ludicro suo honorem illi dedere.

Xiii. Invictvs

Inuictus de petra natus si deus habetur,
Nunc ergo reticeo; uos de istis date priorem!
Vicit petra deum, quaerendus est petrae creator.
Insuper et furem adhuc depingitis esse,
Cum, si deus esset, utique non furto uiuebat
Terrenus utique fuit et monstruosa natura,
Vertebatque boues alienos semper in antris,
Sicut et Cacus Vulcani filius ille.

Xiiii. Silvanvs

Siluanus unde deus iterum apparuit esse ?
Inde forte placet, eo quod bene fistula cantat?
Largitur quoniam lignum? Nam forte non esset.
Vaenalem emisti dominum, cum tu ipse sis illi.
Aspice, deficit lignum! quid illi debetur?
Non te pudet, stulte, tales adorare tabellas?
Vnum quaere Deum, qui post mortem uiuere dicit!
Secede ab istis, qui sunt biothanati facti.

Xv. Hercvles

Hercules quod monstrum Auentini montis elisit,
Euandri qui solitus erat armenta furare,
Rustica mens hominum, indocilis quoque, pro laude
Cum gratias agere uellent, absentis Tonantis
Vouerunt hostias inepto ut deo orando,
Laetandas aras in memoriam sibi fecerunt.
Ex eo perrexit, de uetusto more colatur.
Sed deus hic non est, licet fuit fortis in armis.

Xvi. De Dis Deabvsqve. I

Dicitis esse deos, qui sunt manifeste cruenti,
Et dicitis fata genesis adscribere nobis?
Dicite nunc ergo, quibus primum sacra ferantur:
Inter utrumque uias mors inmatura uagatur.
Si tribuunt fata genesis, cur deum oratis?
Deciperis, uane, qui Manes quaeris orare,
Et qui fabricantur dominos tibi nuncupas esse.
Aut feminas quoque nescio quas deas oratis,
Bellonam et Nemesim, deas Furinam, Caelestem,
Virgines, et Venerem, cui coniuges uestrae delumbant.
Sunt alia praeterea daemonia (procul a) fanis,
Quae nec numerantur adhuc et in collo feruntur,
Vt nec ipsi sibi rationem reddere possint [pestes].
Exportari magis in ultima terra deberent.

Xvii. De Simvlacris Eorvm

Deludunt uos pauci scelerati uates inanes,
Extricare suam dum quaerunt * * uitam.
Subornant aliis ex se sub mysteria falsum.
Inde simulantes concussi numine quodam
Maiestatemque canunt et se sub figura fatigant.
Vidistis saepe Duellonarios, quali fragore
Luxurias ineunt, dum furias fingere quaerunt,
Aut cum dorsa sua allidunt parca bipinne,
Cum doctrina sua cernant, quod cruore sanent.
Respicite, quoniam non illos numina cogunt,
Ipsi qui se primum conponunt integra mente;
Sed stipem ut tollant ingenia talia quaerunt.
Ex eo uidete, quoniam sunt omnia ficta.
Obumbrant populum supplicem, perituri ne credant.
Res semel in uano de uetustate processit, Vt uaticinanti credantur prodita falsa;
Maiestas autem illorum nulla locuta est.

Xviii. De Ammvdate Et Deo Magno

Dixinus iam multa de siperstitione nefanda,
Et tamen exsequimur, ne quid praeterisse dicamur.
Ammudatem qui suum cultores more colebant,
Magnus erat illis, quando fuit aurum in aede; ,
Mittebant capita sub numine quasi praesenti.
Ventum est ad summum, ut Caesar tolleret aurum:
Defecit numen uel fugit aut transit in ignem.
Auctor huius sceleris constat, qui formabat eundem.,

Tot uiros et magnos seduxit false prophetans,
Et modo reticuit qui solebat esse diuinus.
Erumpebat eiim uoeis quasi mente mutata,
Tamquam illi deus ligni loqueretur in aurem.
Dicite nunc ipsi, si non sunt numina falsa,
Ex eo prodigio quot perdidit ille propheta.
Oblitus est iste prophetare, qui ante solebat.
Monstra deo ista fincta sunt per uiniuoraces,
Audacia quorum damnabilis numina fingit.
Gestabatur enim et aluit tale sigillum:
Nunc et ipse silet, nec ullus de illo prophetat.
0 nimium sed⟨ulo⟩ uos ipsos perdere uultis.

Xviiii. Nemesiacis Vanis

Non ignominium est uirum seduci prudentem
Et colere tale ⟨a⟩ m aut Dianam dicere lignum?1
Mane ebrio, crudo, perituro creditis uno,
Ex arte qui fincte loquitur quod illi uidetur;
Seuere ⟨diúinum⟩ dum agit, sibi uiscera pascit.
Incopriat ciues unus detestabilis omnes
Adplicuitque sibi similis collegio facto,
Cum quibus historiam fingit, ut deum adornet.
Ipse sibi nescit diuinare, ceteris audet.
Succollat, quando libet, eum, et quando, deponit;
Vertitur a se⟨se⟩ rotans cum ligno bifurci,
Ac si putes illum adflatum numine ligni.
Non deos uos colitis, quos isti false prophetant:
Ipsos sacerdotes colitis in uano timentes.
Sed si corde uiges, fuge iam sacraria mortis.

Xx. Titanes

Titanas uobis tutanos dicitis esse;
Ita Mutas, Tacitas sub culmine nestro rogatis,
Tot Lares aediculis, simulacra facta Titano!
Adoratis enim stulti malo leto defunctos,
Non legem ipsorum legentes; non ipsi loquuntur,
Et deos audetis eramine dicere fusos? \'
Solueretis eos magis in uascula uobis.

Xxi. Montesianis

Monteses deos dicitis, dominentur in auro,
Obscurati malo aliena mente iurantes.
Nam si purus animus et mens serena maneret,

Tu tibi de illis ipsi disputare deberes.
Excordaris homo, si putas, ut isti te saluent
Seu regant, seu minuant, nisi quid tu fani decurris.
Iustitiam legis quaere magis quam illa; salutis
Auxilium portat et fieri dicit aeternum.\'
Nam quicquid in uano sequeris, per tempora gaudes,
In breui laetaris et postmodum plangis in imis:
Subtrahe te illis, si uis resurgere Christo.

Xxii. Hebetvdo Saecvli

Heu doleo, ciues, sic uos hebetari de mundo!
Excurrit alius ad sortes, aues aspicit alter,
Belantum cruore fuso malus inspicit alter
Et cupit audire responsa bona crudelis.
Tot duces et reges ubi sunt consulti de uita,
Vel portenta sua scisse quo profuit illis?
Discite quaeso bonum, ciues, simulacra cauete:
Omnipotentis enim in legem quaerite cuncti.
Sic ipsi conplacuit domino dominorum in altis,
Ad probationem nostram daemones in mundo uag(ar)i.
Et tamen ex alia parte mandata praemisit,
Caelestis fieri qui relinquant aras eorum.
Vnde non hoc curo disputare paruo libello:
Lex docet in medio; uos consulete pro nobis!
In duas intrastis uias: condiscite rectam.

Xxiii. De Vbiqve Paratis

Dum uentri seruis, innocentem esse te dicis,
Et quasi communis facis te ubique paratum.
Vae tibi, stulte homo, mortem circumspicis ipse,.
Barbaro de more sine lege uiuere quaeris:
Ipse tibi figis asciam in crure de uerbo.
Qui simplicem fingis, simpliciter uiuo cum isto
Viuere te credis, dum uentrem cupis implere?
Exiguus tyranni in domo resides, praue,
Paratus ad epulas, et refugis Dei praecepta.
Aut quia discredis Deum iudicare defunctos,
Rectorem caeli facis te tute pro illo?
Aspicis ad uentrem, quasi tu sis prouidus illi.
Tu modo profanus, modo sanctus esse uideris.
In supplicem prodis Dei sub aspectu tyranni.
Senties in fatis, cuias modo leges inanis.

Xxiiii. Inter Vtrvmqve Viventibvs

Inter utrumque putans dubie uiuendo cauere,
Nudatus a lege, decrepitus luxu praesepis,
Tot (uana) nane prospicis; quid? quaeris iniqua!
Et quidquid egistis, istinc remanere defuncto
Respicite. Stulte, non eras, et ecce uideris!
Vnde processisti nescis nec unde nutriris.
Tu Deum excelsum fugis tuae uitae benignum
Rectoremque tuum, qui te magis uiuere uellet;
Vertis te in faciem et dorsum Deo remittis,
Mergis te in tenebris, dum putas te in luce morari.
Quid in synagoga decurris saepe bifarius?
Vt tibi misericors fiat quem denegas ultro?
Exis inde foris, iterum tu fana requiris;
Vis inter utrumque uiuere, sed inde peribis.
Insuper et dicis: \'Quis est, qui a morte rediuit
Vt credamus ei, quoniam ibi poenae aguntur.
Ea non sunt sic, ut tu putas esse, maligne!
Nam illi qui prodest, post funera recte qui uixit?\'
Tu tamen mox moreris, duceris in loco maligno;
In Christo credentes autem in loco benigno,
Blanditurque quibus haeret amoenitas illa.
Yos autem dabitis uiui sine corpore poenas;.
Suscitat in faciem tortoris ordo clamare.

Xxv. Qvi Timent Et Non Credent

Quamdiu, stulte homo, Christum cognoscere non uis?
Vitas agrum pinguem et sterili semina iactas.
In silua manere quaeris, ubi latro moratur.
Tu dicis: Et ego Dei sum, et foras oberras.
Ingredere iam nunc totiens inuitatus in aula:
Matura iam messis, tempus totidemque paratum,
Ecce modo mete; quodsi non, te paenitet inde.
Nunc, si non habes, collige; uindemia uenit;
Tempus adest uitae credendi tempore mortis.
Est Dei lex prima fundamentum posterae legis,
Teque designabat. Crede sis in lege secunda;
Nec minus t ex ipsos et ex ipsas ibi prudentes;
Obstupe iam factus ora tu credere Christo,
Nam testamentum uetus de isto proclamat.
Credere nnn(c) opus est, tantum in isto defuncto
Resurgere posse ⟨et⟩ uiuere tempore toto.

Ergo si quis ea discredit esse futura,
Dummodo uincetur reus in morte secunda,
Euentwra canam paucis in isto libello;
Nam cognosci potest, ubi sit spes uitae ponenda.
Tamen uos adhortor quantocius credere Christo.

Xxvi. Repvgnantibvs Advebsvs Legem Christi Dei Vivi

Respuis, infelix, bonum disciplinae caelestis
Et ruis in mortem, dum uis sine freno uagari.
Perdunt te luxuriae et breuia gaudia mundi,
. Vnde sub inferno cruciaberis tempore toto.
Gaudia sunt uana, quibus oblectaris, inepte.
Non illa te reddunt hominem fuisse defunctum.
Anni te non possunt iam triginta reddere doctum?..
Nescius si primum errasti, respice canum.
Tu putas nunc uitam isti te perfrui laetum?
Iniuriae, lites ibi sunt et damna diurnum,
Bella uel infanda, fraudes, cum sanguine furta,
Vlceribus corpus uexatur, gemiturque, ploratur,
Seu luis inuadit, aut longo morbo teneris,
Aut natis orbaris, aut perdita coniuge defles;
Destruitur totum, ruunt dignitates ab alto;
Vreris pauperie dupliciter certe si langues:
Et dicis uitam, ubi uitrea uita moraris?
Respice iam tandem hoc tempus inritum esse:
Sed in futuro tibi spes est sine dolo uiuendi.
Viuere uolebat utique ⟨pater⟩ paruoli rapti;
Sed uita priuati iuuenis et senescere forte,
Lautitias diues perfrui quia ipse parabat;
Et tamen inuiti reli⟨n⟩ quimus omnia mundo.-
Gens et ego fui peruersa mente moratus-
Et uitam istius saeculi ueram esse putabam
Mortemque similiter sicut uos iudicabam adesse,
Cum semel exisset, animum periisse defunctum.
Haec autem sic non sunt; sed conditor orbis et auctor —
Requisiuit enim fratrem a fratre peremptum —:
Impie, dic, inquit, ubinam frater ? — Ille negauit. —
Sanguis enim fratris ad me proclamauit in altum.
Torqueris, uideo, ubi nil sentire putabas,
Ille autem uiuit et loca dextera tenet,
Delicias fruitur, quas tu perdidisti, nefande!
Et cum renouasti(s) saeculum, et ille praegressus

Inmortalis erit; nam tu sub tartara planges.
Viuit certe Deus, qui defunctos uiuere fecit,
Innocuisque bonis ut reddat praemia digna,
Vesanis autem et impiis tartara saeua.
Incipe sentire iudicia Dei, seducte!

Xxvii. Stvlte, Non Permoreris Deo

Stulte, non permoreris nec mortuus effugis actus,
Tu licet disponas nihil te sentire defunctum.
Vinceris, insipiens: uiuit Deus conditor orbis,
Legitima cuius clamat(ur) ualere defunctum.
Tu autem dum praeceps sine Deo uiuere quaeris,
Extinctum in fatis indicari tu futile credis.
Non ita disposuit, ut tu putas, Deus aeternus,
Obliuitos esse mortuos de gesto priore.
Nunc nobis imperitis fecit receptacula mortis,
Post cineres autem nostros uidebimus illa.
Erue te, stulte, qui putas, post funera non sis.
Rectorem dominumque tuum nihil posse fecisti.
Mors autem in uacuum non est, si corde retractes.
Optandum noscas, nam sero senties illum.
Rector eras carnis, non te certe caro regebat;
Exemptus ab illa, reconditur illa tuorum.
Recte mortalis homo separatur a carne.
Idcirco nec poterint oculi mortales aequari —
Sic habet abyssus noster — de Dei secreta.
Da nunc ergo Deo, fragilis dum moreris, honorem,
Et crede, quod Christus uiuum te de mortuo reddit.
Omnipotenti laudes in ecclesia reddere debes.

Xxviii. Ivsti Resvrgvnt

Iustitia et bonitas, pax et patientia uera
Viuere post fata faciunt, et queri de actu:
Subdola gens autem, noxi<os)a, perfida, praua
Tollit se in parte et fera mente moratur.
Impie, nunc audi, qui * * malefacta lucraris:
Respice terrenos iudices, in corpore qui nunc
Excruciant poenis diros: aut ferro parantur
Supplicia meritis aut longo carcere flere.
Vltime tu speras Deum inridere caelestem
Rectoremque poli, per quem sunt omnia facta?
Grassaris, insanis, detractas nunc et Dei nomen?
Vnde non effugies, poenam post fata qui ponet.

Nunc uolo sis cautus, ne uenias ignis in aestu.
Trade te iam Christo, ut te benefacta sequantur.

Xxviiii. Diviti Incredvlo Malo

Differris, diues, nimium tua cuncta uidendo,
Insatiabiliter quibus adhuc adgerere quaeris.
Viuere post ista, dicis, non spero defunctus. !
Ingrate summo Deo, qui sic Deum indicas esse,
Te qui nescientem protulit, deinde nutriuit;
Ipse prata tua gubernat, uineas ipse,
Ipse greges pecorum et quicquid possides ipse,
Nec istis adtendis. Aut tu regis omnia forte?
Caelum hoc et terram et maria salsa qui fecit,\'
Reddere decreuit nos ipsos in aureo saeclo,
Et modo si credis, uiuitur in Dei secreta.
Disce Deum, stulte, qui uult te inmortalem adesse,
Vt gratias illi referas in agone perennes.
Lex docet ipsius, sed quia uagari tu quaeris,
Omnia discredis, et inde in tartaros ibis:
Mox animam reddis, duceris quo te paenitet esse,
Ac luitur ibi poena spiritalis aeterna;
Lugia sunt semper, nec permor<i) eris in illa,
Omnipotentem Deum iam tunc ibi sero proclamans.

Xxx. Divites Hvmiles Estote

Disce, moriture, bonum ostendere cunctis.
In medio populi quid te facis alterum esse?
Vadis ubi nescis, et inscius inde recedis;
Impie tractas cum ipso corpore, sitis
Tu super diuitias, nimium te tollis in altum
Et t stifam ducis, nec respicis pauperes ultro
Subditos nunc nobis, nec parentes pascitis ipsos.
Heu miseri! fugiant longius mediocres a uobis.
Vixit et extinxit pauper t ebreica clames.
Mox furiis ageris, cum pereas ipse, Charybdis.
Indisciplinati sicut * * diuites estis:
Legem datis istis, nam uobis parcitis ipsis.
Exue te, diues, tantis malis Deo reuersus,
Subueniat [uti]que tibi, quod nunc operasti si forte.
Estote communes minimis, dum tempus habetis;
Sicut ulmus amat uitem, sic ipsi pusillos.
Terribilem legem malis bonis atque benignam
Obserua, nunc sterilis! subditus in prosperis esto:

Tollite corda fraudis, diuites, et sumite pacis.
Expiate malum uestrum benefactis a Summo.

Xxxi. Ivdicibvs

Intuite dicta Salomonis, iudices omnes,
Vno uerbo suo qualiter uos ille detractat:
Dona quam et xenia corrumpunt iudices omnes!
Idem: V (o)s, sequit ⟨ut⟩, datorem semper amatis;
Cum quaerit(ur), causa uictoriam tollit iniqua.
Innocens hic ego sum, nec uos incuso pusillus,
Blasphemium tollat Salomon, qui (clamat) aperte.
Vobis autem Deus est uenter et praemia iura.
Suggerit hoc Paulus apostolus, non ego pulex.

Xxxii. Sibi Placentibvs

Si locus aut tempus fauet aut persona prouenit,
Index esto nouus. Quid nunc extolleris inde?
Blasphema(s), indocilis; de cuius praestantia uiuis,
In fragilitate tanta non respicis umquam.
Per gradum et lucra auidus fortunae praesumis,
Lex tibi non ulla est, nec te in prosperitate dignoscis.
Auro licet cenes cum turba choranlica semper,
Cruciarium Dominum si non adorasti, peristi.
Et locus et tempus et persona tibi donatur,
Nunc si tamen credis; sin autem, pro eo timebis.
Tempera te Christo et ceruicem illi depone:
Istic honor remanet et tota fiducia rerum.
Blanditur quando tibi tempus nunc, cautior esto.
Vltima fatorum non prouidens, quae te oportet,
Sine Christo nequis esse (ui) tae conpotis unquam.

Xxxiii. Gentilibvs

Gens sine pastore ferox iam noli uagare.
Et ego, qui moneo, idem fui nescius errans.
Nunc ideo Domini figuram sumite uestri,
Tollite corda fera et exasperata seorsum:
Intrate stabulis siluestris ad praesepia tauri,
Latronibus tuti sub regia tecta manentes.
In silua lupi sunt, ideo refugite sub antro.
Bellaris, insanis nec respicis, ubi moraris.
Vno crede Deo, ubi mortuus uiuere possis
Surgas et in regno, cum sit et resurrectio iustis.

Xxxiiii. Item Gentilibvs Ignaris

Indomita ceruix respuit iugum ferre labori,
Tunc iuuat in campis crassis satiari coliclis.
Et tamen inuita domatur utilis equa
Minuiturque ferox esse proinde domata;
Gens, homo, tu frater, noli pecus esse ferinum,
Erue te tandem et tecum ipse retracta:
Non utique pecus nec besteis, sed homo natus,
Tu te ipse doma sapiens et intra sub antra.
Idola, quae sequeris, nihil nisi uanitas aeui.
Leuia uos corda perducunt poenali barathro.
Ibi aurum, uestes, argentum ulnis refertis,
Bellatur ibi, dein canta(n)tur pro psalmis amore(s).
Vitam esse putas, ubi ludi(s) aut prospicis ista:
Sortiris, ignare, extincta, aurea quaeris.
Inde non effugies pestem, licet ipse diuines.
Gratiam, quam misit Dominus in terra legendam,
Non requiris eam, sed sic quasi besteus errans.
Aurea post fata ueniet tibi saecla, si credis,
Rursus ut incipias inmortale uiuere semper.
Illud quoque datur scire, quod ante fuisti:
Subiectum te praebe Deo, qui cuncta gubernat.

Xxxv. De Ligno Vitae Et Mortis

Adam protoplastus ut Dei praecepta uitaret,
Belias seruator foit de inuidia plasmae.
Contulisset nobis seu boni seu mali quod egit
Dux natiuitatis; morimur itemque per illum,
Ex diuino ipse ut [recedens] exsul factus a uerbo.
Finitis sex milibus annis inmortales erimus.
Gustato pomi ligno mors intrauit in orbem:
Hoc ligno mortis quaeramus uitae futurae.
In ligno pendit uita ferens poma, praecepta:
Kapite nunc (inde) uitalia poma credentes.
Lex a ligno data est homini primitiuo timenda,
Mors unde prouenit neglecta lege primordi:
Nunc -extende manum et sume de ligno uitali.
Optima lex Domini sequens de ligno processit;
Perdita lex prima; gustat, unde licet illi,
Qui deos adorat uetitos, mala gaudia uitae.
Respuite gustum; sufficiet scire quod esset.
Si uiuere uultis, reddite uos legi secundae,

Templorum culturam, daemonum fana uitate.
Vertite uos Christo, et eritis Deo sodales.
Xancta Dei lex est, quae mortuos uiuere dioit.
Ymnum sibi soli Dominus proferre praecepit,
Zabolicam legem omnes omnino uitate.

Xxxvi. De Crvcistvltitia

De duplici ligno dixi, mors unde processit,
Et iterum inde procedere uitam frequenter.
Crux autem stultitiam facit adulteri genti.
Rex aeternitatis per crucem diros adumbrat,
Vt sibi non credant.s o stulti, morte uiuentes!
Cain iuniorem occisit nequam repertus:
Inde Enoch subolis Chananaei nati feruntur.
Sic genus iniquum increuit mundo, qui nunquam
Transmutat animos in Domini credere crucem.
Venit in errorem, et dicunt se uiuere recte. 10
Lex in ligno fuit prima, et inde secunda 8
Terribilem legem primam cum pace (p)raeuenit.
In peruersitate saeua scelerati ruerunt:
Traiectum clauis Dominum cognoscere nolunt,
In cuius iudicium cum ue⟨ne⟩ri⟨n⟩t, ibi dignoscunfr.
Abel genus autem credit modo Christo benigno.

Xxxvii. Qvi Ivdaeidiant Fanatici

Quid? medius Iudaeus, medius uis esse profanus?
Vnde non effugies iudicium Christi defunctus.
Ipse caecus eras et ad caecos intras, inepte;
Idcirco caecus caecum in fossa reducit.
Vadis ubi nescis, et inscius inde recedis.
Discentes ad doctos eunt, ut docti recedant,
At tu (t)alis adis, unde nihil discere possis:
Exis pro foribus, inde et ad idola uadis.
Interroga primum, quid sit in lege praeceptum,
Dicant illi tibi, si iussum est deos adorare.
Ignoratur enim propter quod maxime sumus:
. At illi quoniam rei sunt ex ipso delicto,
Nil de praeceptis Dei nisi mirabilia narrant.
Tunc tamen in fossam secum uos caeci deducunt.
Funera sunt; nimium de illis tota deferre,
Aut quia concludor agere co (a) ngustus aratri.
Noluit Omnipotens illos intellegere Regem;
A scelere tanto refugit ipse cruentis.

. Tradidit se nobis ((noua)) superaddita lege,
Inde modo latrant nobiscum re (ge) deserti.
Ceterum in illis (uobis) si spem esse putatis,
In totum erratis, si Deum et fana colatis.

Xxxviii. Ivdaeis

Inprobi semper et dura ceruice recalces,
Vinci uos non uultis: sic exheredes eritis.
Dixit Esaias incrassato corde uos esse.
Aspicis legem, quam Moyses allisit iratus;
Et idem Dominus dedit illi legem secundam.
In illa spem posuit, quam uos subsannatis erecti.
Sic ideo digni non eritis regno caelesti.

Xxxviiii. Item Ivdaeis

Inspice Liam typum Synagogae fuisse,
Tam infirmis oculis, quam Iacob in signo recepit;
Et tamen seruiuit rursum pro minore dilecta,
Mysterium uerum et typum ecclesiae nostrae.
Intuite plenae dictum Rebeccae de caelo,
Vnde similantis alieni Christo credatis.
Deinde Thamar partum geminorum adite;
Ad Kain intendite, primum terraeque cultorem,
Et Abel pastorem, priscus inmaculatus offertor
In sacrificio qui fuit mactatus a fratre.
Sic ergo percipite iuniores Christo probatos.

Xl. Itervm Ipsis

Incredulus populus non est nisi uester, iniqui,
Tot locis et totiens reprobatus lege clamantum.
Et sabbata uestra spernit et tricensimas Altus
Rescidit omnino uniuersas uestras de lege,
Vt nec sacrificia faceret(is) illi praecepta,
Mittere qui dixit lapidem in scandalo uestro.
Iniqua si quis uestrum non crediderit morte perisse,
Pars alia legis clama<t>: \'Videbitis inde
Suspensam in ligno uitam; nec illi credetis\'.
Ipse Deus uita est, pependit ipse pro nobis,
Sed uos indurato corde subsannatis eundem.

Xli. De Antechristi Tempore

Dixit Esaias: Hic homo, qui commouet orbem
Et reges totidem, sub quo fiet terra deserta.
Audite, quoniam propheta de illo praedixit;

Nil ego conposite dixi, sed <de) lege legendo.
Tum scilicet mundus finitur, cum ille parebit
Et tres imperantes ipse deuicerit orbe.
Cum fuerit autem Nero de inferno leuatus,
Helias ueniet prius signare dilectos,
Res qu(i)a sub fine regit t et artatio tota.
In septem annis tremebit undique terra:
Sed medium tempus Helias, medium Nero tenebit.
Tunc Babylon meretrix (erit) incinefacta fauilla;
Inde ad Hierusalem perget, uictorque Latinus
Tunc dicet: Ego sum Christus, quem semper oratis,
Et quidem conlaudant illum primitiui decepti,
Multa signa facit quoniam eius pseudopropheta.
Praesertim, ut credant illi, loquetur imago;
Omnipotens tribuit, ut «spiri»talis eradat.
Recapitulantes scripturas ex eo Iudaei
Exclamant pariter ad Excelsum sese deceptos.

Liber Secvndvs

I. De populo absconso sancto omnipotentis (Christi) Dei uiui.

II. De saeculi istius fine.

III. De resurrectione prima.

IIII. De die iudicii.

V. Catecuminis.

VI. Fidelibus.

VII. Fideles cauete malum.

VIII. Paenitentibus.

VIIII. Qui apostatauerunt Deo.

X. De infantibus.

XI. Desertores.

XII. Militibus Christi.

XIII. De refugis.

XIIII. De lolii semine.

XV. Dissimulatori.

XVI. Saecularia in totum fugienda.

XVII. Christianum talem esse.

XVIII. Matronis ecclesiae Dei uiui.

XVIIII. Item ipsis.

XX. In ecclesia omni populo Dei.

_XXI. Martyrium uolenti.

XXII. Bellum cottidianum.

XXIII. De zelo concupiscenciae.

XXIIII. Qui de malo donant.

XXV. De pace subdola.

XXVI. Lectoribus.

XXVII. Ministris.

XXVIII. Pastoribus Dei.

XXVIIII. Maioribus natis dico.

XXX. Infirmum sic uisita.

XXXI. Pauperibus sanis.

XXXII. Filios non lugendos.

XXXIII. De pompa funeris.

XXXIIII. Clericis.

XXXV. De fabulosis et silentio.

XXXVI. Ebriosis.

XXXVII. Pastori.

XXXVIII. Oranti.

XXXVIIII. Nomen Gasei.

I. De Popvlo Absconso Sascto Omnipotentis Christi Dei Vivi

Desidet (populus) absconsus ultimus sanctus,
Et quidem ignotus a nobis ubi moretur.
Per nonem tribuum <cam> agant et dimidiam ipsi,
Omissae duae tribum haec sunt et dimidia nobis.
Praecepitque Christus per legem uiuere priscos.
Viuamus nunc omnes, nouellae traditio legis,
Lex ut ipsa docet! Apertius indico nobis.
Obrelictae duae tribuum et dimidia: quare
Ab istis dimidia tribuum? Vt martyres essent,
Bellum cum infer<r>et electis suis in orbem,
Seu certe sanctorum chorus prophetarum ad illam
Consurgeret plebem, qui frenum inponeret illis,
Obsceni quos equi trucidarunt calce remissa;

Nec ruent ad manus pacem aliquando tenere.
Semotae sunt istae tribuum, ut mysteria Christi
Omnia per istas conpleatur saeculo toto.
\'Sunt autem de scelere duorum fratrum enatae,
Auspicio quorum facinus secutae fuere.
Non merito tales dispersi sunt ipsi cruenti?
Conueniunt iterum propter mysteria castris.
Tunc autem properant conpleri legis narrata.
Omnipotens Christus descendit ad suos electos,
Obscurati nobis qui fuerunt tempore tanto,
Milia tot facti; illa est gens uera caelestis.
Non natus ante patrem moritur ibi, neque dolores
In suis corporibus sentiunt uel ulcera nata.
Pausantes in lecto suo mature recedunt
Omnia conplentes legis, ideoque tutantur.
Transire iubentur ad Dominum partibus istis,
Exsiccat fluuium quibus sicut ante traiectis,
Nec minus et Dominus ipse producit cum illis.
Transiit ad nostra, ueniunt cum rege caeleste.
In quorum itinere quid dicam quod Deus educet?
Subsidunt montes ante illos et fontes erumpunt:
Caelestem populum gaudet creatura uidere.
Hic tamen festinat matrem defendere captam.
Rei autem iniquus, qui obtinet, illum ut audit,
In partem boreae refugit et colligit omnes.
Sed cum se inlidet exercitu Dei tyrannus,
Terrore caelesti prosternuntur milites eius,
Ipse cum infando conprehenditur pseudopropheta;
Decreto Domini traduntur uiui gehennae.
Ex eo primores et duces seruire iubentur.
Intrabunt tunc sancti ad antiquae ubera matris,
Vt tandem et illi refrigerent, quos malus ille [suasit]
In uariis poenis cruciabat sibi credendos.
Ventum est ad finem: quo tollantur scandala mundo,
Incipiet Dominus iudicium dare per ignem.

Ii. De Saecvli Istivs Fine

Dat tuba caelo signum sublato leone
Et fiunt desubito tenebrae cum caeli fragore.
Summittit oculos Dominus, ut terra tremescat,
Adclamat et(iam), ut audiant omnes, in orbem:
Ecce diu tacui sufferens tanto tempore uestra!

Conclamant pariter plangentes sero gementes,
Vlulatur, ploratur, nec spatium datur iniquis.
Lactanti quid faciet mater, cum ipsa crematur?
In flamma ignis Dominus iudicabit iniquos:
Iustos autem non tanget ignis, sed immo delinget.
Sub uno morantur, sed pars in sententia flebit.
Tantus erit ardor, ut lapides ipsi liquescant,
In fulmine cogunt uenti, furet ira caelestis,
Vt, quacumque fugit, impius occupetur ab igne;
Subpetium nullum <tunc> erit, nec nauticae puppis.
Flamma tamen gentis media partitaque seruans,
In annis mille ut ferant corpora sanctis.
Nam inde post annos mille gehennae traduntur,
Et fabrica cuius erant cum ipsa cremantur.

Iii. De Resvrrectione Prima

De caelo descendit ciuitas in anastase prima..
Et quid referamus de fabrica tanta caeleste?
Resurgimus illi, qui fuimus illi deuoti,
Et incorrupti erint iam tunc sine morte uiuentes,
Sed nec dolor ullus nec gemitus erit in illa.
Venturi sunt illi quoque, sub Antechristo qui uincunt
Robusta mar(tyr)ia, et ipsi toto tempore uiuunt
Recipiuntque bona, quoniam mala passi fuere,
Et generant ipsi per annos mille nubentes.
Conparantur ibi tota uectigalia terrae,
Terra quia nimium fundit sine fine nouata.
Inibi non pluuia, non frigus in aurea castra,
Obsidiae nullae, \'sicut nunc, neque rapinae.
Nec lucernae lumen desiderat ciuitas illa:
Ex auctore suo lucet, nec nox ibi paret.
Per duodecim milia stadia lata, longa, sic alta;
Radicem in terra, sed caput cum caelo peraequat;
In urbem pro foribus aut sol aut luna lucebit.
Malus in angore saeptus propter iustos alendos.
Ab annis autem mille Deus omnia portat.

Iiii. De Die Ivdicii

De die iudicii propter incredulos addo:
Emissus iterum Dei do(mi)nabitur ignis;
Dat gemitum terra rerum tunc in ultima fine,
In ter(r)a gentes ut tunc incredulae cunctae;
Et tamen euitat sanctorum castra suorum.

In una flamma conuertit(ur) tota natura,
Vritur ab imis terra montesque liquescunt,
De mare nil remanet, uincetur ab igne potente,
4 Interit hoc caelum et ista terra mutatur.,
Conponitur alia nouitas caeli, terrae perennis. 10
Inde qui mereunt mittuntur in morte secunda,
Interius autem habitaculis iusti locantur.

V. Catecvminis

Credentes in Christo derelictis idolis omnes
Admoneo paucis propter salutaria uestra.
Temporibus primis per errorem ei qua gerebas,
Erogatua enim Christe tu cuncta relinque,
Cumque Deum nosti, esto bonus tiro, probatus,
Virgineusque pudor tecum uersetur in agno.
Mens bonis inuigilet: cane ut non delinquas in ante;
In baptismo tibi genitali (a) sola donantur.
Nam si quis peccans catecuminus, poena notatur;
Insignis illa uiuas, sed non sine damna moraris.
Summa tibi: grania peccata deuita tu semper.

Vi. Fedelibvs

Fideles admoneo, fratres ne odia tollant :
Impia martyribus odia reputantur in iguem;
Destruitur martyr, cuius est confessio talis,
Expiari malum nec sanguine fuso docetur.
Lex iniquo datur, ut possit sese frenare;
Inde lotus debes cauere similiter et tu.
Bis Deo peccas, qui lites fratri protendis.
Ynde non effugies peceatum prisce sectans.
Semel es latus, numquid poteris denuo mergi?

Vii. Fideles Cavete Malvh

Falluntur uolucres et siluarum bestei uiscis:
Ioeis incantantur, quibus est ratio mentis,
Decipiunturque stropha ut esca sequentes,
Et uitare malum nesciunt nec lege tenentur.
Lex homini data est et doctrina uitae legenda,
Ex qua recordatur, ut possit uiuere caute,
Sui quoque locum, mortis et deroget ea quae sunt.
Condemnat se ipsum grauiter qui regi delinquet:
Aut ferro ligatus aut de suo gradu deiectus
Vel uita priuatus perdit, quod frui deberet.

Exemplo moniti grauiter peccare nolite,
Translate lauacro magis caritatem habete,
Et escam muscipuli, ubi mors est, longe uitate.
Multa sunt martyria, quae sunt sine sanguine fuso.
Alienum non cupire, t uelli martyrii habere,
Linguam refrenare, humilem te reddere debes,
Vim ultro non facere nec factam reddere contra,
Mens patiens fueris: intellege martyrem esse.

Viii. Paenitentibvs

Paenitens es factus: noctibus diebusque precare, °
Attamen a matre noli discedere longe,
Et tibi misericors poterit Altissimus esse,
Non fiet in uacuum confusio culpae proinde,
In reatu tuo sorde manifesta deflere,
Tu si uulnus habes altum, medicumque require,
Et tamen in poenis poteris tua damna lenire.
Namque fatebor enim unum me ex uobis adesse
Terroremque item quondam sensisse ruinae.
Idcirco commoneo uulneratos cautius ire,
Barbam (atque) comam foedare in puluere terrae
Volutarique saccis et petere summo de Rege,
Subuenire tibi, ne pereas forte de plebe.

Viiii. Qvi Apostatavervnt Deo

Quando bellum autem geritur aut inrigat hostis,
Vincere qui poterit aut latere, magna tropaea,.
Infelix autem erit, qui fuerit captus ab illis.
Amittit et patriam et regem, cui digne prouenit,
Pugnare pro patria qui noluit neque pro uita.
Obisse debuerat quam ire sub barbaro rege,
Seruitium quem pateat hostibus sine lege deferre.
Tu si proeliando moreris pro terra, uicisti,
At si manus dederis, incolumis lege peristi.
Transfluuiat hostis, tu sub latebra (te) conde,
Aut si intrare potest, t si nec ne cessa.
Vndique te redde tutum, tuos quoque: uicisti;
Et uigilanter age, ne quis incurrat in ilia.
Rex infamis erit, si quis se propalat hosti.
Vincere qui nescit et occurrit tradere sese,
Nec sibi nec patriae laudem remisit ineptus;
Tunc uiuere noluit, cum ipsa uita periuit.
De(inde) si refugiat inops aut profanus ab hoste,

Eramen ut sonans, facti uel ut aspides surdi,
Orare satis debet uel se condere tali(s).

X. De Infantibvs

Duellum hostis subito (ubi) uenit inundans„
Et prius quam fugerent, [et] paruulos occupauit inertes,
Inproperandum eis non est, licet capti uidentur.
Nec quidem excuso: ob delicta forte parentum
Fuere promeriti, ideo Deus tradidit illos.
Attamen adultos hortor, in aula recurrant
Nascanturque quasi denuo suae matri de uentre._
Terribilem gentem fugiant semperque cruentam,
Impiam, indocilem, ferina uita uiuentem;
Bellum enim alium cum fuerit forte gerendum,
Vincere qui poterit, aut certe iam scire cauere,
S.....:.....

Xi. Desertores

Desertores enim genere non uno dicunt (ur) :,
Est alius nequam: alius in parte secedit,
Sed tamen utroque iudicia uera decernunt.
Ecoe militatur; Christo sicut Caesari pares:
Refugium Regis pete, si delictor fuisti;
Tu illum inplora, prostrates illi fatere:
Omnia concedet, omnia sunt et nostra aostra.
Bepoeitus castris ulterius caue delinquas.
Errare noli diu miles per spelaea ferarum.
Sit tibi pest peocare desistere gestum inmensum.

Xii. Militibvs Christi

Militiae nomen cum dederis, freno teneris.
Incipe tunc ergo: dimitte pristina gesta,
Luxurias uita, quonium labor inminet armis;
Imperio Regis omni uirtute parendum,
Tempora postrema si uis pertingere laeta.
Illa bonus miles semper exspecta fruenda,
Blandire noli tibi, desidias omnis omitte;
Vt tuo praeposito cottidie praesto sis ante,
Sollicitus esto, matutinus signa reuise.
Cum uideris bellum, agonia sume propinquus;
Haec gloria Regis, militem uidere paratum.
Rex adest optato; propter spem dimicat uestram;
Ille parat dona, ille pro uictoria laetus

Suscipit et proprium satellem dedicat esse.
Tu tibi praeterea in d<et> ictis parcere noli,
Impiger esto magis, ut reddat famam pro morte.

Xiii. De Refvgis

Damnatorum animae merito se ipsae secernunt;
Ex hoc protegenti iterum ad sua recurrunt.
Radix Chananaea, maledictum semen, erumpit
Et in seruili gente sub barbaro rege refugit,
Flamma quos aeterna torquebit die decreto.
Vult uagus errare sine disciplina profanus,
Grassari per fauces ferarum lege solutus.
Isti ergo tales, quos nulla poena coegit,
Si (ce)dere nolunt ab idolis, respui debent.

Xiiii. De Lolii Semine. 9

De semine lolii qui stant in ecclesia mixti,
Expletis temporibus messis separantur a fructu.
Lolium est natum, quod non miserat dominus <agri>;
Omne [lolium] agricola collectum separat illud.
Lex ager nobis est: qui fecerit bonum in illa,
Ipsam uti<que) nobis praestat requiem ueram
Ipse Dominator; nam lolium igne crematur.
Si ergo putastis, quoniam sub uno morantur,
Erratis: sterilis Christianos uos esse designo.
Maledicta fuit arbor sine fructu ficulna .
In uerbo Domini, et statim exaruit illa.
Non operas facitis, non donum gazo paratis:
Et sic promereri Dominum putatis inanes?

Xv. Dissimvlatori

Dissimulas legem tanto praeconio latam,
In tuba praesentem caeleste uoce clamantem.
Si propheta tantum <unus> declamasset in orbem,
Sufficeret utique Domini uox mi.a per illum.
In tot profatorom uolumina uox Domni proclamat;
Malitiam nullus dimittit [ita] aequo de corde.
Vis bona uidere et fraudibus uiuere quaeris.
Lex ipsa cur ergo processit tanto labere?
Abuteris Domini mandata, et te filium inquis;
Tu si talis eris, sine causa fideris, inquam.
Omnipotens mites quaerit sibi filios esse,

Rectos, corde bonos, deuotos legi diuinae,
Inmites autem iam scitis ubi demersit.

Xvi. Saecvlaria In Totvm Fvgienda

Si quidam doctores, dum exspectant munera uestra
Aut timent personas, laxantes singula uobis,
Et ego non docee, sed cogor dicere uerum.
Cum caterua Mali pergis ad spectacula uana,
Vbi (a) Satana fragoribus pompa <pa>ratur.
Licere persuades tibi, quodcumque placebit.
Altissimi prolis cum filiis Zabuli mixta
Respioere nunc uis, cui renuntiasti, priora P
In ipsis uersaris iterum: qui proderit Vnus ?
Aut si pro languore datum quod stulte profanas
I.....
Nolite diligere mundum neque ambitum eius:
Tanta Dei uox est, et tibi pro le(ui) uidetur.
Obseruas mandatum hominis, et Dei deuitas;
Tu fidis muneri, quo dootores ora procludunt,
Vt taceant neque dicant tibi iussa diuina.
Me uera dicente[m] sicut teneris, prospice Summum:
Filius cuius eras, illi te adsigna olientem.
Yiuere si quaeris gentiliter homo fidelis,.
Gaudia te mundi remonent a gratia Christi;
Indisciplinate quod libe(t) licere praesumis,
Et choros historicos et cantica musica quaeris,
Nec tali subolem insanire licentia curas.
Dum uita frunisci putas, inprouidus erras.
Altissimus iubet, et iusta praecepta deuitas.

Xvii. Christianvm Talem Esse

Cum Dominus dicat, in gemitum edere panem,
Hic ut quid nunc agis, qui cupis uiuere laetus?
Rescindere quaeris sententiam Summi demissam;
In protoplasto uide frenum procedere legis.
Si Deus omnipotens cum sudore uiuere iussit,
Tu qui iocundaris, ergo iam exter es illi.
Indignatum ait Dominum scriptura Iudaeis:
Ab esca refecti surrexerunt ludere fili.
Nunc ergo cur illos persequimur sponte profectos?
Vnde perierunt illi, nos cauere debemus.
Maxima pars uestra luxuriis dedita paret.
Transgrederis legem, cum te facis musicis inter.

Apostolus clamat, <clamat>immo Deus per illum:
. Licentia uestra uos, inquit in ipsa, deperdit.
Esto ergo talis, qualem uult esse te Christus:
Mitis et in illo hilaris, nam saeculo tristis.
Excurre, labora, suda, cum tristitia pugna;
Spes cum labore uenit, et uictoriae palma donatus,
Si refrigerare cupis animam, ad martyres i!
Expecta requiem futurorum transitu mortis. 20

Xviii. Matronis Ecclesiae Dei Vivi

Matrona uis esse Christiana ut saeculi discens:
Auro te circumdas aut serica ueste, pudica,
Terrorem legis ex auribus uento remittis,
Res uanas adfectas cuncta de Zabuli pompa,
Ornas et ad speclum cincinnos fronte reflexos,
Nec non et inducis malis medicamina falsa,
In oculis puris stibium peruerso decore,
Seu crines tingis, ut sint toto tempore nigri.
Est Deus inspector, penetrat qui singula corda.
Ceterum pudicis ista necessaria non sunt.
Casto ac pudico sensu pertundite pectus;
Lex Dei testatur tales abscedere lege.
Ex corde qui credit femina marito probata
Sufficiat esse non cultibus sed bona mente.
Induite uestes quas oportet, frigus ut ostent
Aut nimium solis, tantum ut pudico lico proberis;
Et in plebe Dei facultatis dona demonstres.
Dat tibi momentum (Tabitha) clarissima quondam
Exanimata iace(ns) precibus uiduarum erecta.
In dando promeruit, non comtibus, inde leuari.
Vos matronae bonae uanitatis fugite decorem:
In«cestas in) feminas congruit cultura lupana.
Vincite malignum, pudicae feminae Christi.
In dando diuitias uestras ostendite totas.

Xviiii. Item Ipsis

Audi tu uocem, quae uis Christiana manere,
Beatus Paulus qualiter rogare praecepit.
Caeliloquax autem Esaias doctor et auctor
Detestatur enim caritatem mundi sequentes:
Exaltatae, inquit, ceciderunt filiae Sion.
Fas in Deo non est Christianam coli fidelem.
Gentili more quaeris procedere Dei sancta?

Has Dei praecones damnant in lege clamantes
Iniustas esse feminas, quae se taliter ornant.
Kapillos inficitis, oculos nigrore linitis,
Lunatis comulas gradulatim fronte depinctas,
Malam medicatis quodam superducto rubore,
Nec non et inaures grauissimo pondere pendent,
Obruitis collum margaritis, gemmis et auro,
Palmas Deo dignas praesagio malo ligatis.
Quid memorem uestes aut totam Zabuli pompam?
Respuitis legem, mauultis mundo placere,
Saltatis in domibus, pro psalmis cantatis amores.
Tu licet sis casta, non te purgat sinistra sequendo:
Vos ideo tales Christus cum gentibus aequat.
Xanta Dei mulier diuitias corde demonstrat.
Ymnificato choro placitoque Christo seruite;
Zelantes fauore Christo offerte odorem.

Xx. In Ecclesia Omni Popvlo Dei

Iustus ego non sum, fratres, de cloaca leuatus,
Nec me supertollo, sed doleo uestri, qui cerno
Ex tanto populo nullum in agone coronari.
Certe si non ipse pugnat, uel suggerat illis.
Cladem obiurgate, ouantes officite luxu !
Laborat frater aduersante mundo sub armis,
Et fretus opibus nec pugnas nec pugnanti resistis?
Stulte, non intendis unum bellare pro multis?
In talem pendit ecclesia tota, si uincat.
Abstinere uides fratrem et pugnare cum hoste.
Optas tu in castris pacem, foras ille repugnat.
Misericors esto, ut sis ante omnia saluus.
Nec intuis Dominum praeconio tanto clamantem,
Inimicis etiam qui iubet alimenta praebere?
Prandia ob ea prospice diurna, quae semper
Omnibus omnino diebus cum pauperis sumpsit.
Pascere tu quaeris, stulte, qui te denuo pascat.
t Vis ille mihi paret, qui conponi proponit.
Laute cibatum distenso uentre declamas,
Oppressus inopia <cu)m frater s(it) iuxta tabescens.
Die Dominica quid? Alius si non ante uocauit,
Ex suo [te] deturba pauperem, quem ad prandium ducas.
In tali spes est uestra de uestro refecto.

Xxi. Martvrivm Volenti

Martyrium, fili, quoniam desideras, audi.
Abel qualis erat, esto, aut qualis [Isaac] ipse magister.
Rectamque delegit Stephanus sibi uiam in iter.
Tu quidem quod optas, res est felicibus apta.
Vince[re] prius malum benefactis recte uiuendo.
Rex illa tuus cum uiderit, esto securus.
Ipsius est tempus et nos in utrumque gerentes;
Vt si bellum adest, in pace martyres ibunt?
Multi quidem errant dicentes: Sanguine nostro
Vincimus Iniquum; quem manentem uincere nolunt.
Obsidiando perit et ideo sentit Iniquus,
Legitimus autem non sentit poenas ad actus;
Eiula t euoque zelando pectus pugnis pertunde.
Nunc si benefactis uinc(es), eris martyr in illo;
Tu ergo qui quaeris martyrium tollere uerbo,
In pace te uesti bonis et esto securus.

Xxii. Bellvm Cottidianvm

Belligerare cupis, stulte, quasi bella quiescunt!
Ex protoplasto die pugnatur in fine nobis.
Libido praecipitat: bellum est, tu pugna cum illo.
Luxuria suadet: abutere, bellum uicisti.
Vino copioso parce, ne per illum aberres;
Maledicti retine[te] linguam, unde Deum adoras;
Conpesce[re] furiam, pacificum redde te cunctis;
Oppressos miseriis deprimere caue minores;
Terrorem adcommoda tantum et noli nocere;
Tramite uos recto ducite sinceri per saeclum;
In tuis diuitiis communem te redde pusillis;
De labore tuo dona, nudum uesti: sic uinces.
Insidias nullo facias qui Deo deseruis:
Aspice principium, unde perit inuidus hostis.
Non sum ego doctor, sed lex docet ipsa clamando.
Verba geris tanta uana, qui sub uno momento
Martyrium quaeris otiosus tollere Christo.

Xxiii. De Zelo Concvpiscenciae

Dum cupis, inde peris, dum ardes proximi zelo;
Exstinguis te ipsum, quando te incendis abactus.
Zelaris alium, inuide, de malo lucrantem,
Et te parem concupis fieri pecuniae tantae.
Lex sic non aspicit(ur) ; dum illum incumbere quaeris,

Omnia suspensus uiuis in ardore lucrorum;
Cumque reus tibi sis ipsum te iudice damnans,
Oculorum acies nunquam satiatur auara.
Nunc ergo sic redeas et cogites: uana cupido est
Congere<re> nimium sub fragili uita moranti.
Ynde Deus clamat: Stulte, hac nocte uocaris!
Postea mora ruit: cuius erint ista talenta?
In suprema ardes iniusta lucra conando,
Suggeret cum Dominus unicuique uicta diurna.
Congestet alius: tu bono uiuere quaere,
Et Dei t cor censens agis super omnia uictor;
Neque enim dico uel intimo neci te mittas,
Cum pro die tuo uigilas sine fraude uiuendo.
In esca perit auis aut inhaeret inprouida uisco.
Arbitrare tibi simpliciter ualde cauendum.
Excedant alii, finem tu prospice semper.

Xxiiii. Qvi De Malo Donant

Quid te bonum fingis alieno uulnere, nequus?
Vnde tu largiris, alter cottidie plorat.
Ista tu discredis Dominum uidere de caelis?
Dona iniquorum non probat Altissimus, inquit.
Erumpis miseris, dum fueris locum adeptus.
Munera dat alter, ut alterum reddat inanem,
Aut si fenerasti duplicem centesima nummum,
Largiri uis inde, ut te quasi malum depurges:
Omni potens tales operas omnino recusat.
Donas tu de lacrimis candidatus; ille nigratus
Oppressus usuris deplorat factus egenus.
Nanctus praeterea tempus captatoribus hostis
Ad praesens populas pretio tu sanctos iniquus,
Nec non et de lucro mercis su<m)is te piare;-
Te ipsum inlidis, non alium * *, inique.

Xxv. De Pace Svbdola

Dispositum tempus uehit nostris pacem in orbe
Et ruinam simul blandiente saeculo primis.
Praecipitis populo, quem <ipsi) in schisma misistis:
Aut facite legem ciuitatis aut exite de illa.
Conspicitis stipulam cohaerentem in oculis nostris,
Et uestris in oculis non uultis cernere trabem.
Subdola pax uobis uenit, persecutio flagrat.
Vulnera non parent, et sic sine caede ruistis,

Bellum in absconsum geritur sub pace quod ipsud.
De <omnibus) uobis uix unus caute se gessit.
0 malo nutriri in occisione praedicti!
Laudatis pacem subdolam et uobis iniquam.
Alterius facti milites, non Christi, peristis.

Xxvi. Lectoribvs

Lectores moneo quosdam cognoscere tantum,
Et dare materiam ceteris exemplo uiuendi,
Certamen fugire lites totidemque uitare,
Tumorem premere, nec unquam esse superbos.
Obsequia iusta maiorum cuique deferte;
Reddite uos Christo similes, filioli, magistro;
Inter agrestiua benefactis lilia sitis.
Beati facti estis, cum fe(ce)ritis edicta.
Vos flores in plebe, uos estis Christi lucernae,
Seruate quod estis et memorare potestis.

Xxvii. Mtnistris

Mysterium Christi, Zacones, exercite caste,
Idcirco ministri facite praecepta magistri.
Nolite fugere personam iudicis aequi,
Integrate locum uestrum per omnia docti.
Susum intendentes, semper Deo summo deuoti
Tota Deo reddite inlaesa mysteria sacra.
Rebus in diuersis exemplum date parati;
Inclinate caput uestrum pastoribus ipsi:
Sic fiet, ut Christi populo sitis probati.

Xxviii. Pastoribvs Dei

Pastor si confessus fuerit, geminauit agonem.
Apostolus autem tales iubet esse magistros:
Sit patiens rector, sciat, ubi frena remittat;
Terreat in primis, et postea melle perungat,
Obseruetque prius, ut faciat ipse qui dicit;
Redditur in culpa pastor saecularia seruans,
In faciem cuius sis ausus dicere quicquam.
Bullit in inferno rumoribus ipsa gehenna:
Vae miserae plebi, dubia quae forte uacillat!
Si talis aderit pastor, paene perdita nutat;
Deuotus autem <eam) continet recte gubernans;
Exhilaratur enim ex anima regibus aptis.
In talibus spes est et uiuit ecclesia tota.

Xxviiii. Maioribvs Natis Dico

Me solum exposcit tempus uobis dicere uerum.
Ab uno semper mouetur, quod multi detractant.
In me solo uolo odia conuertere uestra,
Omnium ut pausent praecordia tanto tumore.
Respicite dictum, quod ueritas odia tollat.
Iam praedixi quidem de pace subdola quanta!
Blandiendo uobis subrepsit Euae seductor.
Yos quia nescitis, laqueo in isto ruistis,
Sorbitis omnino auram dum saeculi ipsam.
Non gratis aget, pro quo interceditis, ullus;
Ab igne qui refugit, agit in uoragine uestra.
Tunc [re]petit suppetium miser denudatus a uobis:
Ipsi iam horrescunt iudices peculantia nestra.
S.....
De breuiori titulo t nam in nobis inararem.
Inspicitis dicentes, quibus uos ostenditis ultro;
Cum ipsis et epulas capitis et pascitis ipsos.
Ob ea iam terrae paene fundamenta paratis.

Xxx. Infirmvm Sic Visita

Infirmus si fuerit frater — de paupere dico —,
Nolite uacui talem nisitare iacentem.
Fac sub Deo bonum, obsequia redde per imum,
Inde si ualescit, uel si considerat, ille.
Refoueatur homo pauper, qui non habet unde
Mercedem <det) [tibi], pro illo sed conditor orbis et auctor.
Yel si piget ire ad pauperem semper abosum,
Mitte numos ei, unde se resumere possit.
Similiterque soror si paupera lecto decumbet,
Incipiant uestrae matronae uictualia ferre.
Clamat ipse Deus: frange tuum panem egeno!
Verbis opus non est uisitare sed benefactis.
Iniquum est, frater (si) inopia uictus aegrotat.
Satagit non uerbis, sed esum potumque [ille] requirit:
Inspicite tales, sed certe debilitatos,
Transigere sese qui non possunt; date subinde!
A Domino uobis spondeo <ego) dari quadruplum.

Xxxi. Pavperibvs Sanis

Pauperies sana quid? Nisi diuitiae adsunt,
Ars certe si fuerit, iam et tu communi<c>a fratri.
Vnum praesta tibi, ne superbus esse dicaris;

Polliceor, quoniam securior diuiti uiuis.
Excipe doctrinam magis Salomonis in aures.
Responsorem in alto non dedit Deus pauperem esse:
Idcirco te subde et honorem redde potenti.
Blandus enim sermo .. prouerbium nosti ut inquit;
Vincitur officio etsi fuerit ira uetusta.
Si lingua taceat, nihil melius inuenisse.
Sane si non fuerit ars, unde uita regatur,
Aut operam praebe aut cursum iussu potentis;
Non pudeat neque pigeat procurre(re) sanum.
In gazo praeterea de labore mittere debes,
Sicut singularis illa, quam protulit Vnctus.

Xxxii. Filios Non Lvgendos

Filiorum casus licet et dolum cordis relinquat,
In nigris exire tamen nec plangere fas est.
Lex prudenter ait animo, non pompa dolere,
In Salomoniaco libro, septimana finita.
Oblita Domini de resurrectione promissa?
Si martyres feceris, filios sic uoce deflebis.
Non pudet infrenem gentiliter plangere natos?
Os laceras, tundis pectus, uestimenta diducis,
Nec metuis Dominum, cuius optas regnum uidere.
\'Lugere [quod fas est] nolite, tamen orate pro illis!
Vos ideo tales, quod minus quam gentes eritis?
Germine zabolico facitis ut turbae pronatae,
Extinctos clamatis : qua gratia, false, petisti?
Nec dolore duxit pater filium mactandum ad aram,
Dolore nec nates filium luxit defunctum;
Omnipotentis enim nec flens deducebat alumnum,
Sed Deo deuotus festinanter funus agebat.

Xxxiii. De Pompa Fvnejus

De funeris pompa sollicitus esse qui quaeris,
Erras Dei seruus, adhuc et in morte placere,
Pro! exanim(at)um corpus ornari funestum.
0 uanitas uera, cupere defunctis honorem!
Mens mundo detenta nec in morte Christo deuota,
Prouerbium nosti, quae per forum efferri uolebat !
Addo illi similes effera(ta) mente uiuentes.
Faustum felicem[que] diem in exitu uultis habere,
Vt coeat populus, laudem cum luctu uidere.
Non prouides, quonam merearis ire defunctus?

Ecce prosequuntur illi, tu iam forte cremaris
Redactus in poenam: quid proderit pompa defuncto?
Incusatus eris qui ob ista collegia quaeris.
Sub nigrore cupis uiuere: te decipis ipsum.

Xxxiiii. Clericis

Congruit in Pascha, die felicissimo nostro,
Laetentur et illi, qui postulant sumpta diurna:
Erogetur eis quod sufficit, uinum et esca.
Bespicite, [forte] quoniam memorentur ista pro uobis!
In modico sumpto deficitis Christo donare.
Cum ipsi non facitis, quo modo suadere potestis
Iustitiam. legis talibus, uel semel in anno?
Sic merito surgunt blasphemia saepe de uobis.

Xxxv. De Fabvlosis Et Silentio

Dum leue uidetur cuicumque neque uitatur,
Et quasi facile reris dum ab utero illud,
Fabulae subueniunt, quo uenisti fundere preces
Aut pulsare domum stomachi pro delicto diurno.
Bucina praeconum clamat lectore legente,
Vt pateant aures, et tu magis obstruis illas;
Luxaris labia, quibus ingemiscere debes.
Obde malis pectus uel ⟨illa⟩ in pectore solue.
Sed quia diuitiae faciunt aut pecuniae frontem,
Inde perit omnis, quando sibi maxime fidunt.
Sic feminae quoque coeunt, quasi initent balneo.
Et de domo Dei ceu nundinae facitis astent.
Terruit hinc Dominus: Domus orationis adesto!
Sacerdos Domini cum ”Susum corda” praecepit,
In prece fienda ut fiant silentia uestra,
Limpide respondis nec tempora quoque promittis.
Exorat ille Altum pro plebe deuota,
Ne pereat aliquis; at tu te in fabulis uertis,
Tu subrides ibi aut detrahis proximi fama;
Indisciplinata loqueris, quasi sit Deus absens,
Omnia qui fecit, nec ⟨audiat⟩ neque (te) cernat.

Xxxvi. Ebbiosis

Ebrioso modum non pono: sed belua maior
Bibendo superius inferior a mente recedis.
Regentis imperium tenens apud, stulte, Cyclopas
Inde in his toruis: Dum mortuus, non bibo, dicis;

Optima mihi (sunt) bibere et corda sopire. Subministra magis, quod amplius quaeris abuti,
Infimo pauperclo, et eritis ambo refecti.
Si facias ista, exstinguis tibi gehennam.

Xxxvii. Pastor I

Pascere qui quaeris et quod potuisti parasti
Adsiduo (pari) pascendo, recte fecisti:
Sed tamen inmisce pauperem, qui non te repascat,
Tunc erit mensa tua per unum Deum probata.
Omnipotens tales uel maxime pasci praecepit.
Respice, cum pascis, infirmos, et feneras Alto.
In illos uos Dominus uoluit probatos adesse.

Xxxviii. Oranti

Orantem si cupias te exaudiri de caelo,
Rumpe de latibuli nequitia uincula tota,
Aut si benefactis ores miseratus egenis,
Ne dubites: quicquid petieris, datur oranti.
Tu sane si nudus benefactis Deum adores,
In totum ne facias sic orationem, inepte.

Xxxviiii. Nomen Gasei

Incolae caelorum futuri cum Deo Christo
Tenente principium, uidente cuncta de caelo,
Simplicitas, bonitas habitet in corpore uestro;
Irasci nolite sine causa fratri deuoto;
Recipietis enim quicquid feceritis ab illo.
Hoc placuit Christo resurgere mortuos imo
Cum suis corporibus, et quod ignis ussit in aeuo,
Sex milibus annis conpletis mundo finito.
Vertitur interea caelum tenore mutato;
Conburuntur enim impii tunc igne diuino,
Ira Dei summi ardet creatura gemendo.
Dignitosi tamen et gener(e n) ati praeclaro
Nobilesque uiri sub Antichristo deuicto
Ex praecepto Dei rursum uiuentes in aeuo,
Mille quidem annis ut seruiant sanctis et Alto
Sub iugo seruili, ut portent uictualia collo,
Vt iterum autem iudicentur regno finito.
Nullificantes Deum conpleto millesimo anno
Ab igne peribunt cum montibus ipsi liquendo.
In bustis et tumulis omnis caro redditur acto:
Demergunt inferno, tradunt(ur) poenae in aeuo.

Ostenduntur illis et legunt(ur) gesta de caelo:
Memoria prisca debito et merita digno,
Merces in perpetuo secundum facta tyranno.
Omnia non possum conprehendere paruo libello.
Curiositas docti inueniet nomen in isto.

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***Commodiani Carmina*** edited by Bernhard Dombart (Wien, Österreich, Österreichische Akademie der Wissenschaften (ÖAW): 1887) Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum 15), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.